



• S • G • B • T • B •

• 1 • 6 • 6 • 1 •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



27
COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XII.

continens

ANTIΘΕΣIN ARTICULI IV.

DE QUÆSTIONE

IN QUO CONSI-
STAT JUSTIFICATIO,

Proposita

In inclutâ Electorali Academiâ VVittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

R E S P O N D E N T E

M. JOHANNES Borneman

Halberstad. Saxone.

Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 22. Novembr.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.



V I R I S

*Reverendo admodum, Clarissimis, Consultissimo
Excellentiss. atq; Celeberrimis*

DN. WILHELMO LYSERO, SS. Theol. Doct.
& Profefs. Publico, Facultatis Theol. pro tempore
Decano, ac Alumnorum Electoralium
Inspectori fidelissimo:

DN. HENNINGO Grossen/J. U. D. & Profefs. Publ.
Curiae Electoralis & Facultatis Juridicae Wittēb.
nec non judicii Provincialis in Inferiori
Lusatia Assessori dignissimo:

DN. M. JOHANNI SCHARFIO, Logices ac
Metaph. in Academ. Witteberg. Professori
Publico.

*Dominis Patronis, Praeceptoribus atq; Promotoribus
meis humiliter & reverenter, aeternum
suspiciendis.*

Nec non

Eximio atq; Eruditissimo

DN. MICHAELI STÖSSELIO, Medic. Candidato
Fautori & amico meo aetatem colendo.

Hocce *πρωτα* Theologicum debitae
observantiae & gratitudinis ergo

dico & confecro

M. JOHANNES Borneman
Resp.

Continuatio.

Rogredimur nunc cum Becano ad quaestionem quintam, quâ quaerit: *in quo consistat Justificatio: an tantum in gratuitâ peccatorum remissione, siue potius (ut loquitur) occultatione per justitiam imputatam: an partim in hac, partim in renovatione & sanctificatione per infusionem justitiae inbarentis.* Illam Calvinii & Chemnitii sententiam, hanc catholicorum hoc est papanorum, esse dicit. Ultra vera & verbo DEI consentanea sit, paucis indagabimus & demonstrabimus.

THESES.

I. Primum igitur Becanus §. 1. statum controversiæ inter Pontificios & Calvinianos vel potius Lutheranos ex ipsorum propriis verbis & scriptis eruit; nempe quod nostra sententia sit, *Justificationem in solâ gratuitâ peccatorum remissione & justitiae Christi imputatione, non autem in sanctificatione positam esse;* Ipsi contra Pontificii negent, *justificationem solam esse remissionem peccatorum, sed continere simul renovationem & sanctificationem.* Res est clara & satis manifesta etiam ex illis, quæ hæcenus de justificatione disputavimus.

II. Statu controversiæ sic rectè constituto ac definito, progreditur §. 2. & accusat Calvinum nequitiae, *quod ex odio Catholicorum omnem justitiam & sanctitatem inbarentem negaverit:* Id quod patere, ait, ex verbis illis l. 3. Instit. cap. 11. §. 23. *Vides non in nobis, sed in Christo esse justitiam nostram.* Et in antidoto Concilii Tri-

Cent. sess. ad cap. 8. Falsum esse contendo, ullam justitiam partem in qualitate sitam esse, vel habitum, qui in nobis resideat.

III. Etsi animus non est vel Calvinus, vel ejus scriptorum sociorumve patrocinium in nos suscipere: veruntamen, quia hæc de Justificatione Doctrina non est Calvinus vel Calvinianorum propria; sed verè Lutherana, in omnibus Lutheri scriptis & symbolicis nostris libellis proposita, exposita, & à nostris doctoribus magno zelo & constantia contra Pontificios hæcenus per DEI gratiam fortiter ac feliciter defensa; quare hæreseos & personarum navis suo loco relictis, duntaxat de re ipsa, utpote, quatenus ab ipsis quoque vera de Justificatione doctrina proponitur & asseritur, contraq; Pontificios propugnatur, agimus.

IV. Certum ergo est, non Calvinum, locis à Jesuita allegatis nequiter agere cum Pontificiis; sed Becanum nequitiam suam satis manifestis indiciis publicè prodere. Quod enim Calvinus loquitur ac intellectum vult de subjecta certâ materia, nempe de justificatione, utpote de qua agit in allegato in capite; id Becanus tanquam absolutè dictum interpretatur. Hic enim est intellectus allegatorum verborum: *vides, non in nobis, sed in Christo esse justitiam, quâ justificamur & coram Deo justifi declaramur.* Item, *Falsum esse contendo, ullam justitiam (nempe coram DEO valentis & nos justos constituentis) partem in qualitate sitam esse, vel in habitu, qui in nobis resideat.* Aliàs licet regenerationem distinguat à justificatione; tamen non negat: Ut autem illam non negat, sic neque inficiatur, in illâ quandam justitiam dari, & quidem justitiam nobis inhærentem: Sic enim illo ipso capite & s. scribit: *Hoc discrimen justificandi & regenerandi pulchrè exprimitur à Paulo. Nam de REALI SUA JUSTITIA loquens, vel de integritate, quâ donatus erat, flebiliter exclamat, Miser ego, quis me liberabit à corpore mortis hujus? Ad JUSTITIAM verò confugiens, quæ in solâ DEI misericordiâ fundata est, magnificè & vitæ & mortis, & probris & inedia, & gladio, rebusq; omnibus adversis insultat: Quis accusabit contra electos DEI, quos ipse justificat? Quid multis? ipsemet Becanus seipsum mendacii arguit, quando in subsequentibus fatetur, Calvinum concedere, dari sanctita-*

citatem & justitiam inhaerentem, & quod inde sequitur, hominem fieri justum & sanctum per internam renovationem.

V. His ita explicatis facile intelligitur, quid de consequente, quod etiam ut absurdum reprehendit Becanus, censendum sit. Hinc (inquit Jesuita) consequenter docuit, hominem in se non fieri justum, sed tantum in Christo. Sic enim loquitur lib. 3. c. 11. ut pro justis in Christo censeamur: & quae sequuntur. Non enim opus est omnia adscribere, cum res plana sit, & nemo etiam Lutheranorum neget, sed omnes unanimiter affirmamus, nullum hominem fieri justum in se, sed tantum in Christo, nempe ut revera justus sit & censeatur in judicio divino. Hoc enim tantum adest, ut absurdum sit, ut potius sit ipsa Spiritus S. doctrina & divina veritas.

VI. Quemadmodum & alterum, quod ut absurdum subsumit Jesuita, inquit: Hinc ulterius docuit, Justificationem non posse consistere in internâ renovatione per justitiam & sanctitatem inhaerentem. Sanè neque hoc absurdum esse, sed ipsam divinam veritatem (non quidem ut id propterea non absurdum judicemus, quia statuamus, in justificatis nullam inhaerentem justitiam dari, ut nobis affingit Jesuita; sed quia illa imperfecta sit, proindeq; in judicio DEI consistere nequeat) sufficienter in praecedentibus est probatum, nec opus est, ut eandem crambem recoquamus.

VII. Tertio loco quod Becanus praetendit, nempe distinctionem inter justificationem & sanctificationem figmentum esse, paulo altius repetendum & considerandum est. Vide, inquit, quomodo ab utroq; se expediat. Fingit aliud esse justificationem, aliud sanctificationem: illam consistere in solâ peccatorum remissione: hanc in renovatione animi per justitiam inhaerentem; se negasse quidem, dari justitiam inhaerentem in justificatione: non tamen in sanctificatione, & sic omnia optimè coherere. Ita se explicat tum alibi, tum in antidoto Concilij Trident. sess. 6. cap. 8. Verum illam sententiam non tantum Calvinii, sed Orthodoxorum quoque Lutheranorum esse manifestum est apud Chemnitium, Examinis Trident. parte primâ, in sessionem septimam. Illam autem figmentum esse, calumnia est Jesuitica, ut ex haecenus disputatis

est conspicuum, & ex subsequentibus adhuc pluribus demonstrabitur.

VIII. Sed videamus, quomodo probet Becanus nostram sententiam purum putum figmentum esse. Pergit §. 3. his verbis: *Hoc effugium Calvini & miserum est & Scripturis ac Patribus contrarium & Calvino ipsi perniciosum. Ostendam singula brevissime. Annon miseri & desperati hominis est, cum in rebus ipsis non possit, in solis vocibus elabi velle? De re erat quæstio, an homo cum justificetur, acquirat justitiam & sanctitatem inherentem, quâ interius renovetur, & ex injusto justus efficiatur. Calvinus negat. Verba ejus superius allata sunt. Hæc contentio non de nomine sed de re ipsâ instituta est. Si ergo, quod ad rem attinet, datur ejusmodi renovatio per justitiam inherentem, quid litigat Calvinus de vocabulo?*

IX. Respondemus, non distinctionem nostram, sed hanc Becani inter res & vocabula miserrimum effugium esse. Primum enim concedo, quod non tam de voce, quam de re significatâ hæctenus fuerit quæstio, licet interim non planè exclusâ fuerit significatio vocis, quippe quâ ipsa res intellectui offertur & repræsentatur: Quod autem principalis quæstio de re, quæ & ut modò à Becano proponitur, fuerit, pernegamus. Quandoquidem non quæsitum fuit hæctenus de hac re, neque quæstione sic formata: *an homo cum justificatur, acquirat justitiam & sanctitatem inherentem, quâ interius renovetur, & ex impio justus efficiatur; sed potius, an justificatio consistat in justitiâ & sanctitate inherente: & an illa justitia sit, quâ in judicio DEI homo justus pronuncietur.* Quæ sanè res & quæstio diversissima est ab illâ.

X. Nam licet posteriorem hanc negemus, priorem tamen illam concedere possumus, rectè intellectam, uti etiam nunquam in vero sensu eam (ut quidem nobis contra manifestam veritatem affingit Jesuita) negavimus: sed consequens duntaxat, quod inde deducunt Pontificii, à nobis negatum est: nempe, *si concedamus, hominem, cum justificatur, acquirere justitiam & sanctitatem inherentem; utiq; cogi nos, ut hoc inde deductum & factum consequens accipiamus, & cum Pontificiis statuamus: justitiam & sanctitatem inherentem esse formam justificationis.* Quandoquidem

dē consequens hoc non est illius antecedentis, sed figmentū
cerebri Jesuitici consequens.

XI. Nam sicut nulla est necessitas, ut, quod unā cum gene-
ratione in hominem introducitur, sit statim forma hominis; si-
quidem formæ consequens esse potest, ut risibilitas, ut docili-
tas &c. Sic quoque non est necesse, ut, quod justificationem ho-
minis coram DEO vel comitatur vel consequitur, (ut est reno-
vatio, sanctificatio, justitia & sanctitas inherens) statim ejus vel
justi forma sit & justum coram DEO constituat, cum demonstre-
mus, id, non tantū ejus necessarium vel concomitans vel cō-
sequens esse posse, sed revera nihil aliud vel amplius esse.

XII. Falsum ergo est, quod infert Becanus, *si detur habi-
tuali justitia in justificatis, & detur renovatio per justitiam inheren-
tem, Ergo nos sine re & causā disputare contra Pontificios, sed vitio-
sa λογισμαχία contendere*: Falsum hoc est, inquam. Nam licet
concedamus renovationem, & eam fieri per justitiam inheren-
tem statuamus; negamus tamen, in rei veritate & essentiā idem
esse renovationem & justificationem: negamus formalem ra-
tionem renovationis esse formalem rationem justificationis:
negamus habitualement justitiam esse perfectam, & nos justos in
conspectū DEI constituere posse: affirmamus contra, forma-
lem rationem justificationis nostræ esse justitiam Christi, nobis
imputatam: affirmamus justitiam inherentem esse fructum fi-
dei & justificationis: Et in illis omnibus à Pontificiis dissenti-
mus, & contra ipsos disputamus. Judicet jam qui cerebrum
non in calcaneo habet, an hæc dissensio & disceptatio tantū
sit in verbis & de nudis terminis. Id nemo sanus Becano con-
cedet: Ergo meritò litigamus non de vocabulo, sed de re & ef-
fentia ipsā justificationis.

XIII. Pergit ille §. 4. *Sed nequē vocabulum illi patrocinatur.
Nam omnes antiqui patres nomine justificationis non solum remissio-
nem peccatorum, sed infusionem quoq; justitiæ inherentis intellexunt.
Nec opus est illorum verba citare, cum adversarii fateantur. Nam
Calvinus lib. 3. Instit. cap. 11. §. 15. ubi de hac re agit, audacter affirmat,
se non curare, quid Augustinus & alii senserint. Sic enim loquitur:*

Ac ne

Acne Augustini quidem sententia recipienda est. Et Remitius in prima parte examinis: non movemus litem, quomodo justificationem accipient Patres. Et infra: Non ignoro aliter loqui Patres. Hic fateatur, Patres aliter, quam se sentire, unde infero, doctrinam ipsorum de justificatione novam esse, ac proinde merito suspectam haberi oportere.

XIV. Primum nequaquam Becano concedimus, sed vanitatem Jesuiticam esse dicimus, omnes Patres nomine justificationis non solum remissionem peccatorum, sed infusionem quoque justitiae inhaerentis intellexisse. Audiamus ipsos: Ambrosius in 3. ad Roman. *Justificati sunt gratis, inquit, quia nihil operantes, neque vicem reddentes. sola fide justificati sunt, dono DEI.* En non solum nihil operantes dicit, quod referri possit ad sola opera justificationem praecedentia; sed etiam *neque vicem reddentes*, quod certe ad subsequentes pertinet. Excludit igitur opera, ut sola fides relinquatur, ut sensus sit: neque ante, neque post fidem acceptam quenquam justificari operibus, id est, inhaerente justitia. Sic idem lib. 1. de Jacobo & vita beata, cap. 6. *Sed & illud mihi prodest, quod non justificamur ex operibus legis. Non habeo igitur, unde gloriari in operibus meis possim, non habeo unde me jactem, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor, quia justus sum, sed gloriabor, quia redemptus sum. Gloriabor, non quia vacuus peccati sum, sed quia mihi remissa sunt peccata. Non gloriabor, quia profui; neque quia profuit mihi quicquam; sed quia pro me advocatus apud Patrem Christus est: sed quia pro me Christi sanguis effusus est.* Ubi rursus Ambrosius omnia opera excludit. Et ibidem lib. 2. cap. 2. *Et fortassis illud est, quod non ex operibus justificamur, sed fide quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est: sed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quae meretur veniam delictorum.*

XV. Idem concion. 3. in Psal. 118. *Non habet in retributione, quod desperet, quia Dominus Jesus venit mundum salvare, non perdere. Ideoque immemor est injuria, memor gratiae, sicut in prophético libro testificatur ipse, dicens: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Tu autem memor esto & judicemur,*
dic ini-

dic iniquitates tuas, ut justificeris. Quicumq; ergò dicit iniquitates suas Domino, justificatur, & quicumq; justificatur, retributionem non timet, sed exposcit. Sanè manifestus est locus. Sic argumentamur. Nullus, qui confitendo peccata sua DEO justificatur, justificatur inhærente justitiâ: Atqui fideles justificantur confitendo peccata sua DEO: Ergò nulli fideles inhærente justitiâ justificantur. Major est ἀντίθεσις. Inhærenti enim justitiæ opponitur peccatum, & ipsimet Pontificii tradunt, per inhærentem justitiâ justificari nihil esse aliud, quàm nihil omnino habere peccari residui.

XVI. Chrysostomus ad Rom. hom. 17. Quod autem dicit, hoc est: Moses: ostendit nobis, ex quo sit & unde constet ex lege justitiâ, nimirum ex implendis mandatis. Qui faciet ea, inquit, victurus est in eis. Et alioquin non potest quisquam justus fieri in lege, nisi omnia impleverit. Hoc verò nemini fuit possibile. Quare excidit illa justitiâ: Et post pauca: Illa quidem exigit impleri omnia: Cum enim feceris omnia, tunc vives: At ex fide justitiâ, non id dicit. Homiliâ 8. vult ostendere, & Abrahamum ex fide justificatum esse, qui quidem erat victoriæ magnæ excessus. Etenim eum, cui opera desint, ex fide justificari, nihil erat absurdi: Ast eum, qui bonis operibus abundaret, non inde, sed ex fide fuisse justum: hoc verò admirandum fuit, fideiq; vim vel maximè manifestam fecit.

XVII. Augustinus quidem, plerisq; in locis, vocabulo justificationis κατὰ γένεσιν utitur pro sanctificatione sive renovatione; in rei veritate tamen idem statuit, quod nos contra Pontificios defendimus: Unde etiam non rarò propriè & cū Paulo loquitur. Sic enim de spiritu & literâ cap. 26. Sic intelligendum est, inquit, Factores legu justificabuntur, ut sciamus, aliter eos non esse factores legis, nisi justificentur, ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores legis justificatio precedat. Item in præfatione Psalm. 31. Quid ergò? qui sunt beati? Non in quibus DEUS non invenit peccatum. Nam in omnibus invenit. Omnes enim peccaverunt & egent gloriâ DEI. Si ergò in omnibus peccata inveniuntur, remanet, ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergò Apostolus sic commenda-

B

vit, &

vit, & credidit Abraham DEO, & reputatum est ei ad justitiam. Item in Johan. hom. 3. Omnes, qui ex Adamo cum peccato, peccatores omnes, qui per Christum justificati, justus, non in se, sed in illo. Nam in se si interrogas, Adam sunt: in illo si interrogas, Christi sunt. Idem in Psalm. 142. In tua justitiâ, non in meâ: non quia ego merui, sed quia tu misereris. Nam si meum ostenderem meritum, nihil abs te mererem nisi supplicium, avulsisti merita mea, inseruisti dona tua.

XIIX. Hieronymus adversus Pelagianos lib. 1. Audi eundem. Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut dimittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate. Tunc ergo justus sumus, quando nos peccatores fatemur, & justitia nostra non ex proprio merito, sed ex DEI consistit misericordiâ. Et lib. 2. Omne os obstruitur, & obnoxius est omnis mundus DEO, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram eo, nullâq; distantia est personarum. Omnes enim peccaverunt & indigent gloriâ DEI, justificati gratis per gratiam ipsius. Sic autem scribit: Existimamus fide justificari hominem sine operibus legis: Siquidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præsertim per fidem, manifestè ostendit, non in hominis merito, sed in DEI gratiâ esse justitiam, qui sine legis operibus credentium suscipit fidem.

XIX. Videatur quoque Cyrillus in Jobann. lib. 4. cap. 41. Bernhardus sermone secundo in vigilia nativit. Domini. In cantica, sermone vigesimo tertio: sexagesimo primo, sexagesimo octavo: Epistola centesimâ nonagesima, quæ contra Abeilardum. Falsum ergo est commentum Becani, omnes Patres justitiam operum facere partem justificationis nostræ coram DEO.

XX. Cur ergo, inquis, id concedunt & Lutherani & Calviniani, ut illud modò Becanus ex Calvino & Chemnitio probavit? Videbimus; nihil quicquam probavit: Sed tum Calvini, tum Chemnitii verba Sophisticè corruptit, ut sibi servirent. Sic enim Chemnitius: Patres quidem, inquit, verbum justificare in hac significatione sæpè usurpare non ignoro: Sed de proprietate linguarum, questio est. Et post: Sed non querimus nunc principaliter, quomodo Patres usurpent verba justificandi: Sed nostra

stra questio est, in quâ significatione Spiritus Sanctus utatur verbo justificationis. Calvinus: Ne Augustini quidem sententia, vel saltem loquendi ratio per omnia recipienda est: tametsi enim egregiè hominem omni justitiæ laude spoliat, & totam DEI gratia transcribat, gratiam tamen ad justificationem refert. Haetenus illi.

XXI. Hic ergo debuisset Becanus distinguere inter rem ipsam, & inter loquendi modum. Quod si fecisset, utique vidisset, à neutro sententiam Patrum in hoc argumento repudiari, sed duntaxat loquendi modum improbari. Tradunt enim, Patres, attendentes analogiam grammaticam, & ex eâ vocabulum justificationis æstimantes (quod etiam Pontificii faciunt, sed diverso fine) id plerumq; vocare justificationem, quod nos autore Paulo sanctificationem nominamus: Aliàs vero, ubi agunt de vera & propriâ causâ nostræ salutis, apertè profiteri eos eandem nobis cum sententiam. Unde etiam plurima loca adducunt, quibus illud conficiunt, quod nos docemus. Quocirca Chemnitius dixit: *Patres quidem, licet plerumq; sequantur analogiam latinæ compositionis in verbo justificare, sæpè tamen evidentiâ Paulinæ disputationis cogi, cognoscere propriam & genuinam hanc significationem, quam monstravimus.* Et Calvinus: *ab Augustino hominem omni laude spoliari justitiæ, & totum DEI gratiæ adscribere.* Ut ita falsissimum sit, fateri hos Patres aliter, quàm se sentire. Non enim nostri homines tam stolidi sunt, & à bonâ mente more Papistarum (qui nomina perinde habent, *κύρια* sint, *ἀνώμαλα*, certa, an dubia, distincta, an confusa, sufficit ut eâ occasione possint Patres suos clamare, Patres ingeminare) alieni, ut non videant quantum mons distet à quadrupede, etiamsi uterq; Taurus appelletur.

XXII. Hæc quidem certissima & verissima sunt, ponam nihilominus, Patres aliter sentire, quàm Chemnitium & ceteros Lutheranos; inde tamen non statim sequeretur, quod ex falsis suis conceptis hypothesebus infert Becanus, doctrinam nostram de justificatione novam esse, ac proinde meritò suspectam haberi.

XXIII. Quærendum enim est à Jesuita, quid in hâc disputatione vetus, & quid novum, dici possit, imò verò etiam debeat. Sanè perperam id vetus definitur, quod sex, septem, octo vel plurib. etiam duravit seculis, ut sunt traditiones Pontificiæ de Missâ, de defunctorum invocatione, de purgatorio Platonico & poërico &c. item opiniones Patrum, ut *Irenæi* amplexi sententiam Chiliaisticam, & contra omnem fidem historicam statuentis, Christum fuisse quinquaginta annorum; *Tertulliani*, dogma Montani defendentis, & prima semina Papatus spargentis; *Origenis* errores, quos multos & insignes collegunt *Epiphanius* & *Hieronymus*; *Cypriani* ἐθελοθρησκείαις & ceremoniis superadditis Sacramentis efficaciam gratiæ & remissionis peccatorum tribuentis; *Hilarii* docentis, nullum fuisse sensum doloris in Christo, sed sicut telum transit per aërem, ita fuisse omnes passiones: item verbum recessisse ab humanâ naturâ, cum Christus clamaret: DEUS meus, DEUS meus, quare me dereliquisti &c. Hæc verò & similia licet antiquitate, patrum temporibus definita, contineantur, est nihilominus de illis in Sacrà Scripturâ altum silentium, & ne gry quidem reperitur: Quare antiquissimæ religionis ac veritatis orthodoxæ propria nequaquam esse possunt.

XXIV. Vetus ergò simpliciter & sic vetustissimum, omniumq; primum in Religione orthodoxâ censendum & definiendum est illud, quod statim post lapsum primorum parentum, in ipso paradiso cepit. *Genes. 3. v. 15.* postmodum verò per Patriarchas & Prophetas subinde propagatum, ac tandem ab ipso Christo miraculis planè divinis confirmatum, ab Apostolis verò & Evangeristis voce & Scripturâ in universum orbem difeminatum est. Ad hanc igitur antiquitatem omnia, subsequentibus temporibus, vel à Patribus, vel à doctoribus in Romana, aliisque Ecclesiis tradita, sunt revocanda: quæ consentiunt, probanda, quæ dissentiant rejicienda. Uti hunc judicandi, doctrinas examinandi modum semper & omnibus seculis Doctores Ecclesiæ adhibuerunt & usurparunt. Sic
Origines

Origenes licet Epiphanium & Hieronymum antiquitate, hunc quidem annis centum quinquaginta septem (vixit enim circa annum Christi 390.) illum verò ferè duobus seculis (quippe qui floruit anno Christi 400.) vinceret, hoc tamen non obstante, uterque illius scripta secundum antiquiorem Scripturæ canonem examinavit, & ut diximus, multos errores, sanè non leves, collegit, & Hieronymus modestè de ipso scribit: *non consuevi illorum insultare erroribus; quorum miror ingenia. Quod si quis nobis exposuerit errores ejus, audiat liberè, interdum magnus dormitat Homerus: non imitemur ejus vitia, cujus virtutes non possumus sequi.* Et de Tertulliano, cum ipsius autoritate urgeretur, respondit: *De Tertulliano nihil respondeo, quàm Ecclesie hominem illum non fuisse.*

XXV. Liquidò ergò apparet, antiquitatem illam, Patrum seculis definitam & circumscriptam, infallibilem normam religionis nequaquam esse posse, cum multis scateat erroribus, in illâ ipsâ antiquitate observatis; ideoque hanc nequaquam sequendam esse, nisi certò constet, consentire illam cum antiquissimâ normâ, in scriptis Prophetarum & Apostolorum comprehensâ. Pessimum igitur & nullâ ratione probandum est illud Pontificiorum *ὅτι ἐγγύς τῆς ὁρθῆς ἐγγύς*, quo veritatem verbi divini juxta Patrum tradita exigendam esse voluit: cum potius veritas traditionum Patrum juxta normam Scripturæ examinanda & confirmanda sit. Hic enim est certa & infallibilis veritas; ibi est incerta & multis erroribus permixta: cum ferè nullus Patrum sit, qui non errorem in fundamento habeat.

XXVI. Hoc sciens & dexteritate pietatèque accuratissimi sui judicii perpendens Augustinus, ne ex Patrum incommodè dictis hæretici suos errores stabilirent, sæpius in suis scriptis repetit illud axioma, quod in Ecclesiâ omnino necessarium est: *Ex solis libris canonicis probandos esse articulos fidei, reliquorum verò scripta ita legenda, ut liceat in illis improbare & respuere, quæ cum veritate non congruunt.*

Quod axioma etiam semper & ubique exercuit. Sic enim scribit Epistolâ 48. *Audi, dicit Dominus, non dicit Donatus, aut Rogatus, aut Vincentius, aut Hilarius, aut Ambrosius, aut Augustinus, sed dicit Dominus.* Idem lib. de unitate Ecclesiæ cap. 10. *Nemo mihi dicat, ô quid dixit Donatus, aut quid dixit Parmenianus, aut Ponticus, aut quilibet illorum: Quia nec catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi fortè falluntur, ut contra canonicas DEI scripturas, quid sentiant.* Videatur Aug. eod. lib. cap. 16.

XXVII. In eâ sententiâ sunt cæteri Patres omnes. Sic Origenes in Jeremiam homil. 1. pag. 573. *Necesse est, inquit, nobis scripturas in testimonium vocare: Sensus quippe nostri & enarrationes sine testibus illis non habent fidem.* Et Irenæus lib. 4. c. 63. *Expositionem legitimam dicit eam, quæ est secundum Scripturam.* Sic Patres Synodi Ephesinæ: *Judicium, inquit, quod nihil habet in se, quod Canonicum sit & justum, nihil est, nisi convitium.* Sic C. relatum. distin. 7. *Ex ipsis Scripturis debetis sensum capere veritatis.*

XXIX. Unde proprio gladio Becanum jugulamus, sic argumentantes: Quorum doctrina non consentit cum Patrum sententiâ ac decisionibus, illa est nova & suspecta meritò habenda: At doctrina Becani & cæterorum Jesuitarum & Pontificiorum, quâ tradunt, doctrinam omnem cum Patrum sententiis conferendam esse, quæq; cum illis non consentiat, novam & suspectam habendam; non consentit cum Patrum sententiâ & decisionibus, imo nec cum Jure canonico: Ergò doctrina Becani & Pontificiorum cæterorum, quâ tradunt omnem doctrinam cum Patrum sententiis conferendam, ad illas, tanquam Canonem, examinandam & æstimandam, quæque cum illis non consentiat, novam & suspectam habendam esse, est nova & meritò suspecta habenda, imò planè rejicienda. Major est Becani. Minor est Patrum & Juris canonici, ut probatum: Ergò verissimam esse conclusionem nolens volens concedat Jesuita.

XXIX. At pergit §. 5. At, si non Patres, saltem scriptura illis favet. Nec hoc quidem. Velenim ipsi accipiunt Scripturam, in eo sensu, quo eam antiqui Ecclesiae Doctores interpretati sunt, vel quo ipsi eam interpretantur pro suo arbitratu. Si priori modo, nihil agunt. Nam, ut dixi, antiqui Patres vocabulum justificationis usurpant & explicant eo sensu, quo nos. Si posteriori, minus proficiunt, non enim admittimus nova eorum commenta, quae antiquitati repugnant.

XXX. Respondemus i. omninò & Patres & Scripturam nobis favere, & nostram sententiam probare. De Patribus id haecenus sufficienter demonstratum est: Quippe quod ad rem ipsam, ex asse nobiscum consentiunt, licet voce *Justificationis* quidam & cum primis Augustinus, paulò aliter nonnullis in locis utantur. De quo notetur judicium Chemnitii, quod extat in oratione de lectione Patrum, locis suis Theologicis praefixâ: *Necessariò, inquit, & hoc observandum est ei, qui cum iudicio & fructu vult legere Augustinũ; ipsum commodè & piè quidè sentire, sed tamen sepè loqui suo more, quia accommodat se ad disputationes & certamina suorum temporum. Ut vocabula justificare, justitia, gratia usurpet, paulò aliter, quàm vel in Scriptura, vel in nostris Ecclesiis nunc usurpantur. Pugnat enim contra Pelagium, qui fingebat hominem post acceptam remissionem peccatorum, sine auxilio Spiritus Sancti suis naturalibus viribus posse legi satisfacere, & ita habere justitiam. Ideo justitiam vocat novam obedientiam, gratiam & auxilium Spiritus Sancti, & justificare & ex justo justum facere. De re ipsa verò pulchrè nobiscum sentit, novam obedientiam non esse perfectam in hac vita: & ideò omnium piorum spem unicam esse, quod advocatum habeant apud Patrem, qui est propitiatio pro peccatis eorum.*

XXXI. Quare adhuc dicimus & repetimus, falsum esse utrumque, & Patres & inter hos Augustinum à nostrâ sententiâ in loco de remissione peccatorum, quam nos cum Paulò *justificationem* vocamus, dissentire; & Chemnitium, quod Patres dissentiant, concedere: Contrarium enim disertis hiscè verbis docet.



XXXII. Deinde ad Elenchum Becani, qui constat propositione disjunctivâ, dicimus, non esse in illâ sufficientem partium enumerationem. Nam si vel maximè utraq; pars posita, à nobis concedatur; non tamen contra nos conclusio inferri potest, *quod nostra sententia de justificatione sit nova*. Quandoquidem datur tertium. Aut enim necesse est, ut in doctrinâ de justificatione Scripturam accipiamus in eo sensu, quo eam antiqui Patres interpretati sunt: Aut quò nos ipsi eam interpretamur ex proprio cerebro: *aut tertio* (quod nos addendum esse necessarium judicamus) *ut ipsi Sacri Autores dicitur seipso & Scripturam explicant & volunt intellectam*. Si ergo hoc eligamus, ut omnino eligendum est, proindeq; nos assumimus, licèt utramq; partem, à Becano positam, negemus; sequitur nihilominus nostram sententiam & doctrinam esse non novam, sed antiquissimam; imò antiquiorem omnium Patrum sententiâ.

XXXIII. Tertiò in assumptione vel potius remotione prioris partis propositionis observandum est, quod non removeatur illud, sed aliud assumatur & removeatur. Cum enim ita subsumi debuisset: *Si in doctrinâ de justificatione Sacram Scripturam accipiunt in eo sensu, quo eam antiqui Doctores interpretati sunt*: non sanè hanc subsumit, sed aliam substituit & removet, nempe istam: *Si vocabulum justificationis, in eo sensu, quo Patres interpretati sunt, accipiunt, nihil agunt; quippe qui vocabulum illud sumunt & usurpant ut nos*. Quæ sanè propositiones non idem dicunt. Illa enim loquitur de ipsâ doctrinâ, hæc substituta de termino in doctrinâ illâ usurpato. Fieri autem potest, ut quis in quadam doctrinâ termino aliquo abutatur; & nihilominus in re consentiat.

XXXIV. Non ergò nobis possumus temperare, quin accusationem illam, quâ nostros §. 3. premere volebat, in Becanum ipsum jure retorqueamus: *Annon miseri & desperati hominis est, cum in rebus ipsis non possit, in solis vocibus elabi velle? De re & doctrinâ erat quæstio, an Patres statuunt, hominem suis meritis posse justum pronuciari coram DEO & salvari, & non potius solâ gratiâ divinâ, in Christo verâ fide apprehenso nobis collatâ:*
quod

quod nos cum Paulo *justificari* dicimus : Illud affirmavit, hoc negavit Becanus : nos contra hoc affirmavimus, & illud negavimus. Hæc contentio non de nomine, & quidem tum quoq; quando de consensu Patrum quæritur, sed de ipsa re instituta est. Si ergo, quod ad rem attinet, concedunt Patres ejusmodi gratuitam remissionem peccatorum, ut probavimus, quid litigat Becanus de verbo *justificationis*, quod concedimus à nonnullis Patribus, & quidem ab Augustino, aliter usurpatum esse, quàm ab Apostolo Paulo, quem nos sequimur.

XXXV. Progreditur nunc Becanus, & §. 6. suam sententiam (nempe quod *ad justificationem quoq; tanquam pars essentialis pertineat sanctificatio*) ex Sacra Scripturâ probare incipit. Nos, inquit, *facilius ex Scripturâ pro nobis pugnabimus. Et ut omittam illa testimonia, quæ in utramq; partem retorqueri solent, illa duntaxat citabo, quæ eludi non possunt. Primum sit illud Rom. 8. v. 30. Quos autem predestinavit, hos etiam vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit. Hic Apostolus accuratè describit totum ordinem, quem DEUS servat in salute electorum procurandâ, tum ab æterno, quoad providentiam & consilium, tum in tempore, quoad executionem: Est autem hic ordo. Primò vocat electos suos per internam fidem. Secundò, eosdem justificat. Tertiò donat illis æternam gloriam. Hic jam quæro, annon sanctificatio comprehensa sit nomine justificationis? Si est, cur id negant? Cur Catholicis id asserentibus non consentiunt? Si non est, aut ergo prætermissa fuit ab Apostolo, aut nomine vocationis vel glorificationis designata: quorum neutrum nisi desperatè defendi potest.*

XXXVI. Respondemus, libenter audivissemus causam necessitatis, ob quam in hæc salutis catenâ necessariò sanctificatio includi debeat. Concedimus quidem, quod fides justificans non sit sine sanctificatione & renovatione; siquidem illam inseparabiliter sequuntur bona opera, habitus ac virtutes in homine justificato: interim hic effectus fidei & justificationis consequens ad hanc auream salutis consequendæ catenam non pertinet: quandoquidem etsi justificatio causa sit

C

san-

sanctificationis: non tamen sanctificatio est causa vitæ æternæ: Sed hæc justificationem immediatè sequitur. *Justificati enim fide, pacem habemus erga DEUM, per Dominum nostrum Jesum Christum.* Heb. 5. v. 1. *Et hæc (inquit Christus) est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam &c.* Joh. 6. v. 40.

XXXVII. *Alterum testimonium (pergit Becanus) Hebr. 9. v. 13. Si sanguis hircorum inquinatos sanctificet ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortis? Hic justificare idem est, quod emundare, ut ex verbis Apostoli patet. Nam sanguinem hircorum opponit sanguini Christi. Et sicut sanguis hircorum sanctificabat carnem; ita sanguis Christi emundat, id est, sanctificat conscientiam. Hæc a. duplex emundatio; altera carnis, altera conscientia, nihil aliud est, quàm duplex justificatio; altera legalis, quâ Judæi justificabantur ab imunditie legali corporis: altera Evangelica, quâ Christiani justificamur ab operibus mortuis, id est, à peccatis. Unde sequitur hæc tria pro eodem sumi, sanctificare, justificare & emundare; & tam corpori quàm animæ, servatâ proportionem, posse accommodari.*

XXXIX. Respondemus primum: Apostolus dicto illo directè non agit de justificatione, sed de efficaciâ meriti Christi, eamque explicat per antithesin efficaciam sanguinis brutorum. Deinde *Justificari* hoc loco planè idem esse, quod *emundare* nulla ratione demonstrabit Jesuita. Nam vocis justificationis hic nulla fit mentio sed *sanctificationis*. Si ergo ex comparatione illâ *συνωνυμία* terminorum esset colligenda, tum non *justificationis* vox, (quæ hic non Ens est) sed *sanctificationis* eandem haberet significationem cum voce *purgationis* sive *emundationis*. Sed neque hoc contextus concedere videtur. Nam non conferuntur nudè & simpliciter *sanctificatio* & *emundatio*: Sed *sanctificatio*, quæ fit per sanguinem hircorum & taurorum ad carnis purificationem & *purificationem conscientia*, quæ fit per sanguinem Christi ad serviendum DEO. Quomodo ergo idem significare & esse possunt? Sanè hæc *νοθαργής* longè præstantior est & ratione virtutis, & finis, quàm illa *ἀγίστης* carnis: Ergò quoq; longè præstantiores in se includit partes, nempe
omnes

omnes illas, quæ conscientiam puram ac tranquillam reddere, & à peccatis liberare possunt: id verò non præstat sola *sanctificatio*, sed potissimum *remissio peccatorum*, quæ nobis propriè cum Paulo *justificatio* dicitur. Quocirca nulla est consequentia: *Paulus confert sanctificationem externam Leviticam cum purificatione conscientie: Ergò purificatio conscientie, & sanctificatio conscientie sunt Synonyma.* Totus enim contextus evincit, quod hic *justificatio spiritualis* non cõparetur cum *sanctificatione legali*, sed *purificatio spiritualis*, cujus *sanctificatio interioris hominis* pars est. Certum E. est, hoc loco, *sanctificationem, justificationem & emundationem* non pro eodem sumi: Sed *purgare conscientiam*, de quo hic agit Paulus utrumq; complecti, tum *impuram justitiam* aut *remissionem peccatorum*, tum *infusam, seu ipsam regenerationem* sive *sanctificationem*. Utraq; enim purgat conscientiam à peccatis & liberat à peccatis.

XXXIX. Pergit Becanus §. 8. ad tertium testimonium. Apocal. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Quid est hominem justum justificari, nisi ampliorè justitiã, seu incrementum justitiæ acquirere. At secundum Calvinum, si vera esset ejus sententia, nihil aliud esset, quàm homini justo remitti peccata. At si justus est, jam remissa ei sunt peccata. Quomodo ergò adhuc remittuntur? Sanè Chemnitius in materiã de justificatione cap. 3. fatetur, hoc testimoniũ nobis patrocinari, & postea subjungit: certè propter unicũ exemplũ non est discedendum à tam magno & manifesto consensu reliquorum testimoniorum. Miror impudentiam hominis. Fatetur vocabulum justificationis hoc loco sumi pro acquisitione justitiæ, & tamen reprehendit Catholicos, & maxime antiquos Patres, qui in eã significatione vocabulum illud usurparunt. Sic enim loquitur de Patribus cap. 1. memb. 3. Discesserunt à propriã Evangelicã & Apostolicã significatione vocabulorum, per quæ Spiritus Sanctus doctrinam hujus loci in Scripturã patefecit, ut sunt *justificare, justitia, justus*. Sed sinamus Chemnitium & Calvinum. Novatores esse, nos libenter antiquorum Patrum consensum amplectimur.

XL. De loco hoc Apocalypsis supra Disput. 3. thes. 11 12. suffic:



sufficienter egimus, ut necesse non sit, eundem laborem renovare. Tantum hoc videamus, quomodo impudentissimo ausu impudentiæ accuset Jesuita innocentem & ab omni impudentiâ alienissimum nostrum Chemnitium. Verba quidem adscripta sunt Chemnitii, sed mutilatè allegata: integra apud Chemnitium ita leguntur: *Et ut maximè concedatur ipsis exemplū Apoc. 22. Paulus tamē manifestissimè declarat, quomodo velit vocabulū Justificare intelligi. Et certè propter unicū exemplū, Quod ipsum* (hæc verba impudenter omisit Becanus) *non satis ἀποδεικτικὸν EST, non est discedendum à tam magno & manifesto consensu reliquorum testimoniorum.*

XL. Quid in verbis his impudentiæ? magna impudentia est, quod mutilatè & sophisticè à Jesuitâ allegantur. Dicit Chemnitius quod res est, nempe locum hunc, si conferatur cum dictis Paulinis, quæ in præcedentibus allegaverat, non esse certum ac ἀποδεικτικὸν: cum quodammodo dubia ejus sit lectio. Nam in plerisq; quidem exemplaribus Græcis legitur δικαιώσθηται justificetur; in nonnullis tamen δικαιώσθη ποιησάτω. Deinde etiam sine ullo incommodo de renovatione, ut illam à justificatione nos distinguimus, (potissimum si posterior lectio retineatur) intelligi potest. Rectè ergò infert Chemnitius, licet maximè Pontificiis sua hujus loci interpretatio concedatur, & verba Johannis de justitia infusâ sive inhærente accipiantur, nihil tamen ipsos contra nostram veritatem obtinere posse: propterea quod non sit apodicticus & certus; dicta autem Paulina certa, sine omni ambiguitate manifesta, perspicua, clara. Jam verò in interpretatione Scripturarum clariora neque debent, neq; possunt exponi per obscuriora; Sed hæc lucem accipiant à magis perspicuis? & extra omnem dubitationē certis ac manifestis; aut dicendum, loca, de quibus controversatur, cognata sive similia non esse, sed de rebus planè diversis loqui.

XLI. Quod porrò addit Jesuita, *Fateri Chemnitium, vocabulū justificationis hoc loco sumi pro acquisitione justitiæ & tamen reprehendere Catholicos &c. impudens figmentum est. Non enim fatetur*

fatetur hoc Chemnitius, sed tantum per concessionem responderet. Nempe, quod si vel maxime concederetur (quod interim nequaquam faciendum, vult dicere:) loco illo vocem justificationis haberi, & in Pontificiorum significatione usurpari, id tamen tantum probabiliter, non apodictice & certo concedendum foret, proindeque nihil derogaret manifestissimis & maxime perspicuis locis Paulinis; idque etiam hanc praecipue ob causam: quod tum locus ille non de *justificatione* proprie sic dicta, sit intelligendus, sed de *renovatione*, sitque in voce *justificationis* aequivocatio: ut sic nulla sit consequentia: Johannes uno hoc loco justificationis vocem usurpavit pro renovatione & sanctificatione: Ergo juxta hunc locum manifesta, clara & perspicua dicta Paulina, de remissione peccatorum loquentia, sunt exponenda & intelligenda: Hoc, dicit Chemnitius, nequaquam sequi. Ut nulla est consequentia: In nonnullis locis scripturae vox *Elohim* significat fictitios Deos: Ergo infinita alia loca, satis perspicue & disertè de vero Deo loquentia, non de vero Deo sunt accipienda, sed itidem de fictitiis numinibus intelligenda.

XLIII. Tandem judicium Chemnitii de Patribus, verum & certum est, similiaque ejus verba in praecedentibus à nobis allegata. Quare (ut propria verba in adversarium retorqueamus) *Sinamus Becanum & Jesuitas ceteros Novatores esse cum istis Patribus, nos libenter antiquissimorum Apostolorum consensum amplectimur.*

XLIV. Progreditur Becanus §. 8. ad vocabulum *justificationis* sive *justificare*, & probare conatur, id quoque significare justum facere, infundendo justitiam. Verum quia de significatione hujus vocis ex professo egimus supra disput. 3. hic breviores erimus, examinaturi nonnulla dicta, quae ibi à nobis adducta & explicata non sunt. Initiò igitur concedit Becanus, quod *verbum justificare multis Sacrae Scripturae in locis tum Apostolorum, tum Prophetarum, non significet justum facere, sed justum pronuntiare, & justificari non sit justum fieri per inherentem justitiam, sed justum pronuntiaci & declarari propter alienae justitiae imputationem: interim* (addit)

C. 3

negari

negari non posse, quin aliquando etiam sit idem, quod justum facere, ut Rom. 8. v. 30. Quos vocavit hos & justificavit. Et cap. 3. v. 30. Deus justificat circumcissionem ex fide & præputiū per fidem. Et cap. 4. v. 3. Credenti autem in eum, qui justificat impium. Quem locum brevissimè explicat Augustinus concione 1. in Psal. 30. his verbis: Quid est, qui justificat impium? qui ex impio facit pium. Calvinus diceret: qui impium declarat pium.

XLV. Respondemus, primo dicto ad Rom. 8. v. 30. nihil probari, cum nulla necessitas nos cogat, ut verbum *δικαιῶν* contra perpetuam Apostoli Pauli consuetudinem in Papisticā illā significatione accipiamus: imò contextus contrarium evincit, nempe illud in nostrā forensi significatione usurpari. Sic argumentor: Ut accipitur verbum *δικαιῶν* in hoc ipso capite v. 34 sic quoq; accipiendum est in hoc versu 30. Atqui in versu 34. usurpatur & sumitur in significatione forensi: Ergo in eadem quoq; potestate est v. 30. acceptandum. Major est certa. Nam de eadem re & justificatione in utroq; versu agit Apostolus, quod per se manifestum. Minor probatur. Nam. 1. cogitur id fateri in hoc ipso discursu Becanus, quando in præcedentibus versum illum 34. numerat inter illa loca, quibus concedit probari, quod verbum *justificare* in forensi significatione usurpetur.

XLVI. Deinde quid sit *justificatio*, manifestè colligitur ex antithesi, quā Paulus justificationem & condemnationem opponit. Ut justificari nihil sit aliud, quam dimissis peccatis à reatu & æternā damnatione in iudicio Dei absolvi. In quo judiciali actu Deus quidem iudex est, cum tribunali sistitur homo peccator: qui etiam si à lege de peccatis accusetur, fidelem tamen habet advocatum apud Patrem, Jesum Christum nostrum, qui suā obedientiā & satisfactione Patris iram placavit, dum, ut Paulus loquitur, mortuus est propter peccata nostra, & resuscitatus propter justificationem nostri, & nunc merito suo ac *λύτρω* sufficientissimo intercedit pro nobis, cujus virtute Pater omnes eos justificat, hoc est, à peccatis absolvit, & justos pronunciat, qui in filium redemptorem mundi credunt.

XLVII. Tertiò negari non potest, quod Apostolus hoc loco catenam planè auream proponat, in quā monstrat, quibus veluti gradibus electorum suorum salutem Dominus operetur.

Pri-

Primum ergo gradum constituit, quando dicit: *Quos præscivit, eosdem etiam præsumit, sive prædestinavit.* Quo docet, quomodo prædestinatio nostra in æternitate facta sit, nempe non absolute citra omnem respectum prævisæ passionis Christi, per fidem apprehendendæ; sed in Christo ordinatè factam esse, & sic juxta *θελων* Dei electos in Christo ante mundi jacta fundamenta Eph. i. v. 4. In subsequentibus gradibus monstrat Apostolus, quomodo in tempore hujus prædestinationis executio facta sit. Nempe quod, *quos prædestinavit, eosdem etiam vocaverit,* qui est secundus gradus, quo Deus in perficiendâ suorum electorum salute progreditur, nempe ut, quos ab æterno præsumerat, eos in tempore per prædicatum verbum Evangelii vocet ad communionem regni sui, & ad participationem sortis sanctorum in lumine. Tertius gradus est: *Quos vocavit, hos & justificavit.* En ut prædestinationem vocatio, sic vocationem sequitur justificatio: Qualis autem justificatio? Sanè talis, imò ea ipsa, quam ex fide in Christum & gratiâ remissione peccatorum descripsit; & propter quam nemo electos accusare vel damnare potest.

XLIIIX. Tertius quoque locus nullo modo potest favere sententiæ Pontificiorum, sed potius eam destruit. Quandoquidem expressè opponit *justificationem legis & justificationem fidei.* Et docet, quod illa fundetur in opere & merito, ideoque tantum in se justus per illam propter proprium meritum ex debito justus pronuncietur: hæc verò omne meritum excludat, & in solâ gratiâ divinâ fundetur, verseturque circa hominem, non in se piûm, sed impiûm, qui careat omni opere bono, proindeque ex solâ gratiâ justum pronunciet. Unde sic argumentor: Ex quo justificationis actu omne opus bonum excluditur, illa justificatio non fit per infusionem habitualis gratiæ sive justitiæ. Atqui ex justificatione, quam Paulus hîc describit, omne bonum opus excluditur: Ergo justificatio, quam hîc Paulus describit, non fit per infusionem habitualis gratiæ sive justitiæ. Major est *autòms* \odot : nam si fieret per infusionem gratiæ habitualis, non excluderet, sed includeret bonum opus, nempe illam habitualem justitiâ. Minor jam probata est. 49. Et

XLIX. Et ut res adhuc sit evidentior, sic argumentando progredior: Ut Deus imputat justitiam, ita justificat: At Deus imputat justitiam absque operibus: Ergo etiam justificat sine operibus. Major est certa. Nam justificatio est ipsa justitiæ imputatio. Probatur & hoc. Nam hæc per illam, & illa per hanc à Paulo explicatur. Et quod est v. 2, non ex operibus justificare: id est v. 6. imputare justitiam absq; operibus. Per quod etiam corroboratur minor: ut sic certissima sit conclusio. Hinc porro sic infero: Qui justificat absque operibus, sive non ex operibus, sive non per opera; ille non justificat per infusum habitum justitiæ: Atqui Deus justificat absque operibus, sive non ex operibus, sive non per opera: Ergo Deus non justificat per infusum habitum justitiæ. Quod erat contra Becanum demonstrandum.

L. Augustinum quod attinet, loquitur ille suo more. Quia enim, in creberrimis suis disputationibus contra Pelagianos ita loqui consueverat, ferè ubiq; impropriad hanc loquendi consuetudinem suam retinuit, has diversissimas justificationes, h. e. justificationem & sanctificationem conjungens; Quod licet non fiat, exactè juxta mentem & sententiã Divi Apostoli, fieri tamen potuit ad Hæreticos illos magis constringendos & premendos, asserentes renatos propriis suis viribus sine assistentiã Spiritus sancti legi Dei posse satisfacere. Falsæ ergo huic opinioni se opponens Augustinus, vocem justificationis latissimè sumens, cã omnia illa, quæ à Spiritu sancto & ejus assistentiã in justificatis peraguntur, & ab illis præstantur, & sic illam quoque, quam aliàs Paulus, & nos, ipsum tutò sequentes, sanctificationem, & renovationem vocamus, & à justificatione propriè dictã accuratè distinguimus, complexus est, asserens nimirum contra Pelagianos, utramque & justificationem, à Paulo sic distinctè nuncupatam, & alteram quoque, nempe sanctificationem & renovationem à Spiritu sancto & non simpliciter à nostris viribus esse, & sic solum DEUM justificare nos, hoc est, & justos nos pronunciare, sive à peccatis absolvere, & sanctificare. Est ergo æquivocatio in verbo justificare apud Augustinum: qui aliàs
justi-

justitiam illam, quã justus sumus & pronunciamur coram Deo; nullam aliam dicit & nobiscum agnoscit, quã Christi justitiam, nobis verã fide applicatam, uti etiam illud in præcedentibus monuimus.

LI. Pergit Becanus: *Respondeo tertio, magnum esse discrimen inter Deum & hominem in justificando. Nam Deus non potest impium declarare justum, quin simul ex impio faciat justum: quia judicium Dei est secundum veritatem, teste Apostolo Rom. 2.v.1. Contra verò homo, qui impium declarat justum, non potest ex impio facere justum, saltem propriã virtute & autoritate. Hinc judices, qui impium declarat justum, non minus reprehenditur in scripturis, quã qui justum tanquam impium condemnat, ut patet ex testimonio Proverb. 17.v.13. Qui justificat impium & damnat justum, abominabilis est uterq; apud Deum. Hinc colliguntur due regula notatu dignæ. Altera: Quotiescunq; D E U S in scripturis dicitur justificare impium, semper intelligendum est, ex impio facere justum. Quare? quia judicium D E I semper est secundum veritatem. Altera: Quando homo dicitur justificare impium semper abominabilis est in conspectu D E I, quia non potest ex impio facere justum: ac proinde cum declarat justum, quem relinquit impium, non judicat secundum veritatem.*

LII. Explicandum est, quod & quomodo D E U S possit, salvã veritate, injustum pronunciare justum, & res erit expedita totusque Becani discursus apparebit sophisticus. Certum est legem obligare vel ad obedientiam, vel ad pœnam: qui ergo non obedit legi, sed peccat contra illam, ille fit reus legis: Ergo necesse est, ut aut pœnam luat ipse, aut alius pro ipso, & sic quoad pœnam satisfiat legi. Hoc autem quando factum est, omninò delinquens à pœnã justè ac verè absolvitur, licet factum non fiat infectum. Hæc applicentur ad nostrum institutum. Lex divina obligavit hominem aut ad obedientiam, aut ad pœnam æternam; sed propter transgressionem ad pœnam se fecit obligatum. Ipse quia illam luere sine æternã suã damnatione & sic legi D E I satisfacere non potuit; venit Christus, in se reatum peccatoris suscipiens ac derivans, pro homi-

D

ne le-

ne legi ac justitiæ divinæ satisfecit, inque illâ satisfactione acquievit summus legislator, promittens insuper, si quis verâ fide hanc satisfactionem sibi applicet, illi non debere peccata imputari, sed condonari, ipseque justus pronunciari: jam quæritur, quando postmodum peccatori pœnitentiam agentis & credenti remittit DEUS peccata, an faciat contra suam veritatem? Imò contra veritatem & justitiam fieret, si ejusmodi peccatorem damnaret.

LIII. Quare falsa inde arguitur posita regula: *Quotiescunq; DEUS in scripturis dicitur justificare impium, semper intelligendum esse, quod ex impio fecerit justum infusâ habituali justitia.* Quandoquidem habituali justitia, utpote in hac vitâ imperfectissimâ, nemo justus in conspectu DEI consistere potest. Quare si secundum hanc justitiam hominem justum pronunciaret, contra veritatem suam faceret. Veritas ergò Dei ut immota ac illæsa maneat, si velit DEUS justum pronunciare impium, necesse est, ut illud fiat secundum & propter longè perfectiorem justitiam: quæ verò alia est nulla, quàm imputata Christi justitia.

LIV. Porro §. 10. sic procedit Becanus: *Sed obijciunt illud Rom. 4. v. 7. Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum reëta sunt peccata. Hic querit Calvinus, an hac sit plena definitio justificationis, an dimidia? si plena, verum est, quod ipse docet, justificationem solâ peccatorum remissione constare. Nulla enim hic mentio sit justitiæ inberentis, sed solius remissionis. Si dimidia, quomodo Beatus dici potest, qui non nisi mediâ ex parte justificatus est? At David vocat Beatum, cui remissa sunt peccata. Ego vicissim quero ex Calvino, an sit plena definitio justificationis, an dimidia, cum Propheta ait: Psal. 111. v. 1. Beatus vir, qui timet Dominum? Si plena, ubi est remissio peccatorum? si dimidia, quomodo Beatus, qui non nisi mediâ ex parte justificatur? Vides opinor, quàm nullius raboris sit questio Calviniana ad consiciendum, quod vult. Non enim necesse est, quando quis in scripturâ dicitur Beatus, mox totam definitionem justificationis explicari. Satis est aliquid exprimi, quod pertineat ad beatitudinem vel justificationem, ut patet*

patet ex illo Matth. 6. v. 3. *Beati pauperes Spiritu. Et iterum, Beatimites, & sic deinceps.* At [ita pergit Becanus §. II.] *Apostolus, inquit, cum dixit beatos, quorum remissa sunt iniquitates, voluit integrè definire justificationem, quia ex professo de naturâ & essentiâ illius disputabat. Non ita est. Solum voluit probare, non nostris meritis, sed gratuito DEI dono nos justificari. Hoc autem rectè ex eo probavit, quia remissio peccatorum est gratuita, quæ est pars justificationis. Quanquam enim concedi potest, integram definitionem contineri in verbis illis Apostoli: Beati, quorum remissa sunt iniquitates, non quidem explicitè, sed implicitè. Nam remissio peccatorum non fit, nisi infusione justitiæ inherenti, quâ homo interiorius renovatur, & à peccatis abluatur. Qui ergo expressè dicit; alicui remissa esse peccata, simul implicitè significat infusam esse sanctitatem & justitiam inherentem. Haec tenet Becanus.*

L.V. Respondemus, videre quemlibet, qui aliquid hic intelligit, instantiam Becani insulsam, ineptam, stolidam & stultam esse, ac proinde ejusmodi impostore, hoc est, Jesuita, dignam. Probo. Initiò in confesso est, argumentationem Calvinianam esse dialemmaticam. Dilemma autem omne est Elenchus, hoc est, ejusmodi argumentum, quod adversarium ferit ac constringit. Debet ergò præcipuè duo in se continere. 1. Formam externam dialemmaticam: deinde virtutem ἐλεγκτικὴν. Forma in eo est, quod sit Syllogismus disjunctivus, utramq; partem minoris rationibus instruens. Virtus Elenchtica est, quam modò dedimus: Formam hinc Jesuita non negat. De virtute ἐλεγκτικῇ quaritur. Hæc igitur ut vera & efficax sit, Dilemma verum & efficax constituens, necesse est, ut rationes, quibus utraque pars minoris instruitur, fundentur in hypothesis ab adversario concessâ, quæ quando vel non adest, vel subauditur, virtus ἐλεγκτικὴ nulla est. Ut in hoc exemplo hypothesis subaudita est, hunc λόγον sive orationem, *remissas habere iniquitates & tertia peccata, esse definitionem Beati, huncque ita dici & esse, quod sit justificatus.* Utrumq; concedit Becanus. Hoc nempe *Beatum dici & esse hoc loco eum, qui justifica-*

ficatus est: Nam loquitur Apostolus de Beato, ut talis est in hisce terris, ubi homo non nisi per justificationem beatus est, & nullo alio modo beatus esse potest: Unde etiam ipse Apostolus hoc ipso in contextu justificationem, sive justitiæ imputationem absque operibus & versu præcedente sexto & subsequente nono vocat ac definit *υακαρισμὸν* beatificationem: Quid? quod ipse Becanus hoc ipso loco Beatitudinem & justificationem Synonyma faciat, cum dicit: *satis est aliquid exprimi, quod pertinet ad beatitudinem & justificationem.*

LVI. Deinde orationem illam esse definitionem justificationis, neque hoc negat Becanus, sed concedit, etiam in hoc ipso discursu: tantum in quaestione est, *an sit integra & perfecta definitio*: proindeque rectè allegato dicto Pauli probari possit nostra assertio principalis, *justificationem nostram consistere in solâ gratuitâ peccatorum remissione, & nequaquam in infusâ justitiâ.* Hæc verò fortiter probatur per rationes ad utramque partem minoris probandam adductas. Quia enim Becanus concedit, quod definitio beati sive justificati sit hæc oratio: *Beatus sive justificatus est homo, cujus remissæ sunt iniquitates, & cujus tecta sunt peccata*: Ergo necesse est, ut rursus alteram partem concedat, quod sit vel perfectâ definitio vel imperfecta: Quandoquidem est sufficiens partium enumeratio, cum omnis definitio sit vel perfecta, vel imperfecta: & tantum sit vel perfecta, vel imperfecta.

LVII. Deinde & hoc certum est: si concedat esse perfectam definitionem, quod tum nostra sententia sit probata, nempe quod *justificatio consistat tantum in remissione peccatorum*: & Becani sit refutata, cum non admittat, sed rejiciat infusam justitiam. Si verò hanc negat, & eligit ac affirmat alteram partem: nempe definitionem esse imperfectam; tum necesse est, mendacii arguat ipsum Spiritum sanctum, Beatitudinem sic definientem. Si enim est imperfecta, tum remissio peccatorum non est ipsa beatitudo, vel id, quod hominem beatum constituit, siquidem hominem imperfectè beatum facit: at imperfecta beatitudo, beatitudo non est, & imperfectè beatus non dum

dum est beatus. Imò Apostolus, ut non imperfectum beatum, sed perfectum demonstrare voluit: sic neq; ad id imperfectam definitionem Beati adhibere voluit & debuit, sed perfectam, sicq; arguere, illum esse perfectè beatum, sive perfectam ac veram beatitudinem consecutum, qui remissas habet iniquitates &c. Quia itaq; hæc certa, immota ac luce meridionali clariora sunt: Utiq; nolens volens in conscientia convictus Becanus concedere cogitur, definitionem hanc integram, proindeq; nostram assertionem esse verissimam, hominis nimirum justificationem in sola consistere gratuita remissione peccatorum.

LVIII. Quæritur nunc an convictum hoc argumentum instantia, à Becano adducta, solvatur, ejusq; arguendi vis, ut sibi imaginatur Jesuita, planè enervetur ac tollatur? Negamus omninò & adhuc repetimus, instantiam Jesuitæ ineptissimam ac stolidissimam esse. Nam forma quidem ejus est dilemmatica: interim revera dilemma non est: caret enim omni virtute *ἐλεγκτική*, quâ adversarius, cui objectum est, constringi debet. Probo. Nam hypothesis hinc subaudita, nempe *orationem hanc: qui timet Dominum: esse definitionem justificationis, sive justificati*: negatur à Calvino & Lutero: est enim argumentum non petitum à definitione justificati, sed ab effectu ejus, uti & cætera, quæ allegantur ex *Matth. 6 v. 3*. Si ergò non concedimus, quod sit definitio justificati, simulque negamus, quod tanquam pars pertineat ad definitionem, quâ vi ac ratione dilemmatica nos cogere poterit Becanus, ut alterutram partem ipsi concedamus, quod sit vel perfecta vel imperfecta definitio, ut ille convictus fuit: cum utrumq; negemus, constanter assertentes ac defendentes, non esse definitionem, sed duntaxat argumentum ab effectis peritum.

LIX. Nec juvare potest Becanum hoc effugium, satis esse aliquid exprimi, quod pertinet ad justificationem. Quandoquidè hoc *aliquid* oportet ita sit affectum, ut arguat ac demonstret perfectam naturam beatitudinis: h. e. sit vel adæquatus effectus, vel

vel adæquata affectio sive proprietas : Vel adæquata & sic perfecta definitio. Ut ergo hæc affectio non est adæquata, *Beati pauperes* ; ita etiam Spiritus Sanctus non loquitur, sed addit determinationem. *Spiritus*, & inquit, *Beati pauperes Spiritu*. Sic non est adæquatus effectus Beati, *timere*, sed adæquatus est *timere Dominum*, proptereaq; non dicit Dominus: *Beati, qui timent*, sed *qui timet Dominum*.

LX. Quia itaque in exemplo allato arguere & demonstrare ex Davide vult Paulus per definitionem, quis revera sit beatus, & sic perfecte beatus, necesse est, ut definitionem adhibeat adæquatam. Si ergo definitio allata adæquata non est: *Beatus est, cujus remisse sunt iniquitates, & tecta peccata*, nequaquam dicit ac monstrat, quis revera beatus sit. Nam uti non recte demonstrat, quis sit revera homo, qui ait: *homo est: qui animal est*. Cum id ex parte falsum sit: propterea, quod *animal* definitionem hominis non absolvat, ac proinde non dicat id, quod homo proprie est, sed simul quid bos, leo &c. Sic neque illa Pauli ac Davidis oratio recte ac vere demonstrat justificatum sive beatum, ostenditve, quis sit vere justificatus & beatus, si nimirum non est integra & perfecta definitio justificati sive beati. Testor enim ipsum Becanum, si quis Lutheranus diceret ad Pontificios: *Is revera & perfecte est beatus sive justificatus, cujus tecta sunt peccata & remisse sunt iniquitates*, an illud concederent? nihil minus quam hoc concederent: quippe statim regerent, illu esse revera beatum, non tantum cujus remisse sunt iniquitates & tecta peccata, sed etiam & quidem præcipue, qui infusa gratia sive justitia est præditus: cum putent, hanc quoq; partem ad justificationis definitionem pertinere, & justificatum nullum esse posse, qui non infusam justitiam habeat. Ad summam! Ut proprietas, causa, effectus, debent esse adæquata, si recte arguere & demonstrare debent justificatum; sic quoq; perfecta debet esse definitio: & ut inadæquata illa nihil demonstrant, sic quoq; inadæquata & imperfecta definitio, ejusmodi probationem emphaticam, quam hæc instituit Paulus, nequaquam dare potest.

61. Quod

LXI. Quod tandem præten- dit, definitionem hanc dici
posse perfectam, cum implicite contineat infusam justitiam. Respondemus id falsum esse, & à nobis nequaquam concedi. Taceo, quod definitio non æstimatur secundum ea, quæ proponens tacet, sed quæ expressè dicit: Siquidem definitio est oratio. Oratio ergò quando non expressè continet omnes partes definiti, sive totam essentiam exprimit, sive distinctè explicat, ut perfecta oratio definitiva non est, sic neque perfecta definitio est. Quæ sequuntur, magni momenti non sunt: & in præcedentibus refutata.

SOLI DEO GLORIA.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

SOLE DIO GEORGIA



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092



SB

Repro

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

27

I SECUNDI
Confessionem

ARTIO XII.

tinens
ARTICULI IV.

ÆSTIONE

CONSI-
TIFICATIO,

posita
Academiâ VVittebergenfi,

SIDE

ARTINI, SS. Th.

rimario, Facult. Theol.
pli Arcis Præposito:

ONDENTE

NE Borneman

Rad. Saxone.

ditorio Collegii Veteris

m 22. Novembr.

EBERGÆ,
OMONIS AVERBACH,
M DC XXIX.

